Quaestio medica Cardinalitijs exagitanda disputationibus In Scholis medicorum die martis 28 Junii.

D. Petro Rauin Doctore Medico, Moderatore Sapientissimo.

An Simplicium affectuum Simplicia, Compositorum Remedia Composita?

Affectuum praeter naturam remedia flagitantium, alij Insident partibus corporis quod quanto calidius humidius, eo optabilius, quidam In humoribus plerique actionum officiis. At partium quidem duo genera, ideo morborum tria, praeter quae nullum aliud. Morbus partis consimilis, cuius essentia tribuenda soli intemperamento, quod nusquam reperiri certe, Intemperies simplex calida, sicca omnium pessima, humida, frigida quarum nulla cum humoris affluxu, diuturna vel composita sine humore; aut cum eo sibi congenere aut degenere fatigat. huius generis contrarietate quaevis Idem corpus simul occupat, et calor natiuus, et praeter naturam. Omnis Intemperies aequalis, aut Inaequalis, totius aut partis: cuius noxa, morbus et causa esse potest. Dissimilaris vero partis mala compositio In figura, magnitudine, numero, situ. Vtriusque communis continui solutio: tumor praeter naturam.

Simplicis morbi saepe compositi obscurioris, causa simplex, plerumque dissimilis: quo fit ut nulla proprio morbo addicta contrarios Indicat. Composita tamen [illegible] simplex producit. At Symptomata solitarium nullum, quod cum morbi causa saepe fiat, eius naturam nunquam Induit. Causa omnis cum aliunde occurrat, aut Intus orta sine [illegible] aut diaetae vitio: Illa remedio non [illegible], cum ad [illegible] Inventionem facit, haec vero sui remedii non solum speciem, sed et quantitatem Indicat. Ab hac simplex quidem morbus, sed solitarius nullus, et In variis partibus (quas non semper actio laesa demonstrat, quamvis officiosus modus affectum possit Indicare) diversi etiam simul nascuntur, quorum nonnullos febris, quae semper essentialis, non omnes comitatur.

Ex pluribus dissimilarium partium morbis compositi nulli [illegible], sed Illi Inter se connexi aut disiuncti fiunt. Connexi si unam actionem laedunt, communia etiam symptomata proferunt, ut tussim et dyspnaeam pleuritis (cui et peripneumonia sponte superveniens alia turbatio bona) et pulmonis obstructio, cui curandae calefacientia desiccantiaque non prosunt, vini vero tenuis potus salubris, atque plurima humectatio. Interdum pluribus Incommodant, ut Arthritis, et hac acerbior coli dolor. Vtrumque genus radicem causae [illegible] excitat, ut fluxio In qua substantia sola non conveniunt. Et horum morborum cum altera causa fuerit alterius, prioris sublato non semper posterior simul evanescit, sive Ille tamen Insanabilis. Disiuncti pluribus semper functionibus obsunt, symptomatis evidentibus distinguuntur, atque Inter eos non semper causae communio, hinc fit ut nihil Intersit à quo curatio ducat Initium.

Haec remediorum qualitate, quantitate, utendi ~~modo~~ modo, et occasione constat, cuius Indicatio prima ab Ipso affectu petenda, remedium pari contrarietatis excessu demonstrans. Ille si simplex fuerit, simplici eget auxilio. Ac huius generis calidum quidem frigido quanquam majores agendi vires habet, frigidus tamen morbus suo contrario cedit aequius et calidi quam frigidi tutior usus. humida siccaque Intemperies difficilius emendatur: sed sicca suo contrario tardius vincitur. Simplex plethora sanguinis detractione, verum non omnis: Cacochymia sola purgatione, quam diaeta saepius facit, sed sola nequit corrigere: crassities humoris Incidentibus aliquando frigido, sed tamen detergentibus non [illegible] amaro et calido opus habet, unum remedium pluribus saepe affectibus satis. plura vero uni affectui necessaria sunt.

At morbo composito remedium compositum necessarium. hinc calida remedia Intemperiem, calculus, dolor, anodynum dilatans, obstruens, refrigerans. Causa Item suo morbo contraria, ut febri quotidianae pituita crassa [illegible], et pluribus causis simplicem morbum continentibus, ut crassities, sed tamen obstructionem attenuantia, detergentia. Non semper affectanda simplicium varietate, quae ut In simplici affectu multis ex causis saepe necessaria, Implicitorum eadem curatio. horum si alter gignit alterum, ab eo ut à causa procedente semper Incipiendum. Quod si symptoma urgeat, ut virium exolutio ab Impuritate ventriculi In sinu eius vel tunicis collecta, frigida Intemperie, et fluxione aliunde Irruente, viribus primum studendum. utraque deinde Impuritate eadem opera perpurganda, parti [illegible] [illegible] deinde recipienti consulendum.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Ergo Simplicium Affectuum Simplicia, Compositorum Remedia Composita.

Hæc Robertus Le Madre meldensis. ad licentiam promotus est anno 1670.